


SACROSANCTUM OECUMENICUM  
CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM

Con. V. 4  
1508

**SCHEMATA**  
**CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM**  
de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus

262.8  
27108  
H

SCHEMA CONSTITUTIONIS *ntario 2007*  
**DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS**




(SUB SECRETO)

*Biblioteca Daniel Cosío Villegas*  
EL COLEGIO DE MEXICO, A. C.



*WAM 11/1/68*



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS — MCMLXIII

SACROSANCTUM OECUMENICUM  
CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM

---

**SCHEMATA**  
**CONSTITUTIONUM ET DECRETORUM**  
de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus

SCHEMA CONSTITUTIONIS  
**DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS**

(SUB SECRETO)



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS — MCMLXIII

## DE SACRORUM ALTIMIS FORMANDIS

### INDEX

*Ss. mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.*

Ex Aedibus Vaticanis, die xxii mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae negotiis*



## DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

### PROOEMIUM

1. Summi Sacerdotis, Prophetae ac Regis munera in Se Ipso coniungens, Christus Dominus, cum potestatem suam Ecclesiae contulit eique mandatum dedit redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, homines voluit sui Sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit. 5

Quare Ecclesia, cuius vita a sacerdotio tantopere pendet, nihil antiquius habet quam ut homines, ad tam necessarium et sublime officium a Deo electi, debitam recipiant institutionem ac propria munera rite exercent « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (Eph. 4, 12). 10

### I - DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS

2. Cum vero Sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat, haec Sancta Synodus ecclesiasticas vocationes imprimis fovere cupit, quod quidem Divinae Providentiae actioni respondet, quae aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos qui tantum munus recta intentione et libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret. 15 20

3. Quare eadem Sancta Synodus, omnium in tanto opere impensam cooperationem exoptans, Ecclesiae Pastores atque omnes sacerdotes monet, cuicumque ministerio addictos, praesertim vero parochos et animarum moderatores, ut vitae exemplo atque apostolico zelo, nullis parcentes curis atque laboribus, ecclesiasticas vocationes foveant atque tueantur. Magistri pariter atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, discipulos sibi concreditos ita erudire studeant ut voca- 25

tionem divinam percipere et sequi valeant. Familiae quoque  
christianae apprime sentiant quantum in se ipsas recidat vocatio-  
num adiumentum vel impedimentum, ac sacerdotalem vocatio-  
nem tamquam eximiam ipsi familiae caelestem gratiam collatam  
5 aestimantes, prompto atque hilari animo filios Deo offerre parati  
sint, eorum tamen libertate religiose servata. Praesertim vero  
dilecti iuvenes, qui supernum vocationis donum acceperunt et  
in quibus spem futuri aevi collocat Ecclesia, instanter monentur  
ut vocem Dei libere ac magno sequantur animo, sibi persuasum  
10 habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae  
bono utilissimam se facturos esse.

4. Inter praecipua communis cooperationis subsidia Sancta  
Synodus imprimis orationem commendat ad vocationes a Deo  
impetrandas iuxta praeceptum Domini: « Rogate Dominum mes-  
15 sis ut mittat operarios in messem suam » (Mt. 9, 38), necnon  
congruam christifidelium institutionem sive praedicationem et ca-  
techesi, sive etiam periodicis commentariis impertiendam, qua  
quidem necessitas, natura et praestantia vocationis aperte decla-  
rarentur. Etenim praeter generalem vocationem qua homines per  
20 baptisma ad vitam christianam vocantur, inter peculiare voca-  
tiones eminet sacerdotalis vocatio, quae tum matrimonio chri-  
stiano tum laicorum apostolatui singulariter praestat.

5. Haec aliaque vocationum subsidia eo pleniorē asse-  
quentur efficaciam quo arctior erit inter parochos, parentes, ma-  
25 gistros et consociationes, Episcopo patre et duce, virium labo-  
rumque coniunctio; ideoque in singulis dioecesibus vel regioni-  
bus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigere atque fovere  
iuvabit, eiusque promotores causas quoque sacerdotum penuriae  
accurate inquirere ne praetermittant, eo quidem consilio ducti  
30 ut aptius huic inopiae mederi et efficaciora ad vocationes augen-  
das subsidia comparare queant.

Quae actiosa ad vocationes fovendas conspiratio, singula-  
rum dioecesium atque nationum fines dilatato corde transcendat  
oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ita  
35 quidem ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vi-  
nea instantius advocat operarios.

6. Vocationum sacerdotalium promotio id quoque postulat,  
ut adhibeatur assidua earum cura, statim ac prima apparuerint

germina, a parentibus imprimis intra naturalem familiae ambitum atque a parochis et ab animarum moderatoribus.

Praeterea, ut iuxta venerandas Ecclesiae consuetudines iam adolescentes ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, Seminaria Minora, secundum proprias ordinata leges, 5 sedulo foveantur, itemque peculiaria illa Collegia, quae pro locorum adiunctis eidem fini inserviunt, necnon specialia quaedam Instituta pro iis qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem.

Alumni vero in Seminariis Minoribus vitam ducant quae 10 cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat; simul vero virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur, ac religionis studio et humanioribus litteris dent operam ceterisque disciplinis, quae praerequiruntur ut ipsi Seminaria Maiora ingredi ac formationem proprie sacerdotalem 15 inchoare valeant.

## II - DE FORMATIONIS FINE ET SEMINARIORUM ORDINATIONE

7. Sacrorum alumnorum formatio nullum aliud exemplar prosequatur oportet quam ipsum Dominum, qui « Bonus Pastor ... proprias oves vocat ... et animam suam dat pro ovibus suis » (Io. 10, 3 et 11). Quibus verbis et munera Christi describuntur et apte demonstrantur sacerdotalia et pastoralia ministeria, ad quae obeunda sacrorum alumni praecipue formandi sunt: quae quidem eo spectant ut divina veritas ministerio verbi proclametur; celebrationibus liturgicis integer cultus publicus exhibeatur Deo et Christi vita hominibus tribuatur; fideles 25 ad sectanda Christi vestigia pastoralis zelo atque prudentia ducantur. Ad tanta vero munera rite adimplenda formari nequeunt alumni, nisi ipsis in hac impertienda institutione, genuina inculcetur sacerdotalis et pastoralis pietas, atque simul vires naturales, humanis quoque subsidiis opportune adhibitis, rite excolantur. 30

Quae omnia institutionis elementa ita concordii actione in unicum profundam alumnorum formationem conspirent oportet, ut in luce, quae a Verbo Dei procedit atque per profectum spiritualem formationemque liturgicam et pastoraalem in vitam et actionem profluit, fideles Dei ministri effingantur, per quos Chri-

stus homines a se redemptos attrahere, illuminare ac vivificare valeat.

8. Ad hanc sacrorum alumnis formationem apte impertientiam, quae iam salubriter statuta sunt de Seminariis Maioribus erigendis et promovendis, Sancta Synodus actiosa ac materna sollicitudine confirmat et complet eademque apostolicae Episcoporum sollicitudini enixe commendat. Ubi vero congruus deest alumnorum numerus vel singularum dioecesium vires non sufficientiunt, erigantur ac foveantur Seminaria Interdioecesana, Regionalia, Nationalia vel Internationalia ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore usque ratione consuli possit.

9. Cum vero alumnorum institutionis exitus magis quam a sapientibus legibus, ab idoneis et expertis educatoribus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis ecclesiasticis viris seligantur, numero sufficientes, ab alienis officiis liberi, naturae et potissimum gratiae donis praediti, quae ad diversa munera exercenda requiruntur; quibus accedat oportet peculiaris quoque institutio, qua ornari debent tum ii qui ad docendum destinantur, tum ii qui ad superiorum vel directorum spiritus munera deputantur; ita quidem ut hi omnes virtute et scientia, prudentia et experientia, psychologica et paedagogica arte praecellent. Omnes vero moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes, sub Rectoris ductu, in quo regiminis unitas innititur, servata officiorum distinctione, at arcissima simul operae consortione, alumnis instituendis sedulam concordemque dent operam.

10. Apta alumnorum institutio vigilantem eorum selectionem et probationem a vocationum promotoribus et a Seminariorum moderatoribus postulat. Quare sedula cura inquiratur oportet de alumnorum idoneitate, de eorum recta intentione ac firma voluntate, de sano iudicio et sufficienti ingenio, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi; eos vero qui idonei non sint, superiores tempestive dimittant, nullo habito humano respectu, neque aliis rationibus moti, cuiusmodi est lugenda sacerdotum penuria, confidentes Deum idoneos ministros Ecclesiae daturum esse, si digni tantum promoveantur.

11. Recta Seminariorum ordinatio disciplinam custodiendam postulat quae, ex naturalis sapientiae principiis atque ex supernaturali Ecclesiae magisterio, necessaria apparet ad naturae infirmitatem humanae et peccati originalis sequelas medendas atque ad virilem efficiendum animum eorum qui ad apostolatam sacerdotalem in hierarchico ministerio exercendum praeparantur. 5

Quare recentiores speciosi errores, quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuantur aut prorsus destruuntur, a Seminariis arceantur et rectae disciplinae doctrina inculcetur, quae non modo est mediorum externorum summa, quibus moderatores alumnorum educationem promovent, sed ipsa animi interna dispositio qua auctoritas superiorum, suaviter et fortiter praeci- piens et prohibens, suadens et ducens, a sacrorum alumnis ex intima persuasione et humili caritate, propter conscientiam (cf. Rom. 13, 5) et propter supernaturales rationes suscipitur. 10 15

Firma vero disciplinae principia iuxta diversam alumnorum condicionem et aetatem apte et prudenter applicanda sunt ita ut alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscant, crescat in eis actionum officiorumque suorum conscientia, opera ultro sponteque incipiendi congrua eis concedatur facultas. 20

Moderatores igitur, memores amorem plus valere quam timorem, et persuasionem plus quam coactionem, fiduciam et caritatem ita inspirare curent ut tota Seminarii familia Rectori sicut patri aequo animo oboediat et cuncti inter se fraterna concordia coniungantur. 25

### III - DE INSTITUTIONE SPIRITUALI

12. Etsi integra doctrinalis et pastoralis institutio eo tendere debet ut sacrorum alumnus, non tantum sacrae ordinationis caractere, sed intima totius vitae consortione alter fiat Christus, secundum illud Apostoli: « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (Gal. 2, 20), peculiaris tamen institutio spiri- tualis necessaria est ut, per sedulam virtutum exercitationem, totus eius animus spiritu Christi imbuatur, et mortis Dominicae mysterium celebraturus, vere agnoscat quod agit, imitetur quod tractat. 30 35

13. Quapropter ita in fide statuendi sunt alumni ut « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam » (1 Cor. 1, 24) cognoscere

addiscant sicut Apostolus exoptat, precans ut Christus habitet « per fidem in cordibus » (Eph. 3, 12). Ad christianam quoque excolendam spem sollicite componantur ut non sibi suisque viribus, sed potius Eius auxilio confidant qui vicit mundum suisque  
5 promisit: « Ego vobiscum sum » (Mt. 28, 20). Praecipue vero doctrina tradatur de caritatis primatu et sermones Domini in ultima Coena prolati (Io. 13-17) tamquam Seminariorum codex habeantur, quem assidue sacrorum alumni perlegant ac pertractent, ut discant cum Patre et Filio Eius Iesu Christo et Spiritu  
10 Sancto familiari et assidua caritate vivere (cf. 1 Io. 1, 3); ex qua caritate, per Spiritum Sanctum in cordibus effusa, alitur animarum zelus in futuris dominici gregis pastoribus.

14. Supernaturalem hanc vitam sacrorum alumni hauriant potissimum ex ipso eoque necessario fonte, hoc est ex actuosa  
15 cum sacrosanctis mysteriis publicis sollemnibusque Ecclesiae communicatione. Quare sacer cultus universus, praecipue autem eius centrum et fons, quod est ipsum eucharisticum sacrificium, in Seminariis sic explicetur et sic celebretur ut clerici ex sacro altaris mysterio, una cum Christo sese hostias Deo gratas offerendo et uno eucharistico pane refecti, in unitate mystici Corporis vivere discant; atque sacro Ecclesiae vertente anno, ad mysteria Christi participanda ducantur ut, aliquando sacerdotio aucti, populum sibi commissum, ex intima cultus imprimis sacrificialis participatione, in communitatem vere christianam coadunare valeant.  
25

Ad spiritum orationis alumni formentur ut futuri sacerdotes viri orationis fiant, qui scilicet libenter orent et orandi necessitatem persentiant et ad debitum Trinitati beatae obsequium solvendum et ad ipsorum vitam interiorem alendam et ad quemcumque apostolatum fructuose exercendum. Quare pia exercitia  
30 Seminarii lege sancita vel usu probata fideliter peragant, et varias pietatis formas, praesertim in honorem Deiparae Virginis, assidue colant. Ut autem orationem, quam ipsa Ecclesia peculiariter eis committet, amare discant, institutione sapienter progrediente initientur in Psalterium totumque Officium Divinum intellegenda et degustanda.  
35

15. Ad evangelicam perfectionem contendentes, vivendi modum vere simplicem et modestum iam a Seminario suscipiant qui pauperibus evangelizare atque vitae futuri saeculi validum te-

stimonium mundo praebere debebunt. Sicut homines mundo crucifixi et quibus mundus ipse est crucifixus (cf. Gal. 6, 14), ad humilitatem quoque et mortificationis spiritum formentur, reprobata crescente in dies propensione methodos sequendi quae hedonismum sapiunt.

Vigili diligentique cura educentur ad sacerdotalem castitatem, vi cuius sacerdotes, secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges, integra animi et corporis deditio Domino inserviunt, vere spirituale cum Ipso connubium ineunt, atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam.

Memores sacerdotem eo efficacius redemptionis intrumentum evadere quo arctius per oboedientiam Ei coniungitur qui factus est pro nobis « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (Phil. 2, 8), praeparentur alumni ad promittendam et sancte servandam oboedientiam, qua in cura animarum constituentur dociles sui Episcopi cooperatores.

16. Illae quoque virtutes sedulo curandae sunt, quae ad integram formationem non solum christianam et sacerdotalem, sed etiam humanam perfecte comparandam necessariae sunt et in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt vitae integritas animique sinceritas, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et caritate coniunctae, quae omnia sacerdotem valde decent et apostolatum multum iuvant.

17. Praecipua Rectoris cura sit ut in Seminario vita spiritualis potissimas partes habeat et cetera omnia ita ordinentur ut ad vitae spiritualis fastigium componantur. Spiritualis vero institutio assiduam moderatoris pietatis operam postulat qui, sive unus est in Seminario, sive plures adsunt, servata semper spiritualis directionis unitate, singulos alumnos cognoscere et efficaciter curare debet.

Ad formationem spiritualem roborandam Episcoporum erit opportunitatem perpendere congruam periodum instaurandi impensoris tirocinii spiritualis, sive ante curriculum theologicum ad vocationem sacerdotalem maturiore iudicio amplectendam, sive immediate ante sacerdotium ad convenientem praeparationem perficiendam.

IV – DE STUDIORUM RATIONE

18. Cum scientia praesertim sacra sacerdotes excellere debeant, prout per Malachiam prophetam Spiritus Sanctus praemonet: « Labia sacerdotis custodient scientiam » (Mal. 2, 7), studiorum curriculum sacrorum alumnorum secundum venerandas Ecclesiae consuetudines omni ope curandum est.

Cum vero in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges ferri possint, in singulis nationibus peculiaris Ratio Studiorum habeatur, a competenti Auctoritate Ecclesiastica illius territorii statuta et a Sancta Sede approbata, qua leges universales evolvantur et peculiaribus locorum temporumque adiunctis accommodentur, ut sacerdotalis institutio pastoralibus exigentiis respondeat illarum regionum in quibus ministerium exercendum erit.

Ii vero qui ad ipsas disciplinas docendas vel promovendas destinantur vel ad peculiaris munera obeunda vel ad specialia ministeria exercenda, opportuno tempore ad studiorum ecclesiasticorum Facultates vel Instituta mittantur ut superiorem scientificam institutionem obtineant et gradus academicos consequantur.

19. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, necesse est ut studiorum humaniorum curriculum rite absolverint, quo tum hominis efformatio intenditur, completa atque harmonica omnium facultatum educatione, tum instructio impertitur eorum quae homines culti scire debent, cum magis in dies urgeat necessitas ut sacrorum alumni inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt; ac praeterea didicerint quae futuris sacerdotibus propria sunt, imprimis eam latinae linguae cognitionem qua sacrae traditionis et ecclesiastici magisterii documenta, ceterosque libros, quorum assiduus usus erit in philosophico et theologico curriculo atque in tota sacerdotali vita, facile intelligere et adhibere possint.

20. *Studiorum ecclesiasticorum curriculum* cursum philosophicum et theologicum complectitur. Cum vero philosophicus cursus theologico sit propaedeuticus, utriusque disciplinae cursus arcte et harmonice coordinentur, atque curetur ut sacerdo-

talis et pastoralis visio iam ab initio alumnis late aperiatur, Sacrae Scripturae praesertim lectione, qua generalis biblica intelligentia declaratur illius Christi mysterii, quod totam humani generis historiam pervadit.

In universum praeterea, collatis inter magistros consiliis, 5  
enitendum est ut disciplinarum et tractatum ordo et nexus alumnorum mentibus lucide fulgeat. Omni ope quoque magistri discipulos adiuvent ad audita et lecta proprio nisu peragrandam et assimilanda, illosque, sapienter accommodata docendi ratione, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus et praecipue suo 10  
ipsorum exemplo ad studiorum sacrorum amorem ita conforment, ut ex ipso, etiam sacerdotio aucti, lumen et robur pro suis aliorumque necessitatibus haurire pergant.

21. *In cursu philosophico* Philosophia perennis, secundum 21  
S. Thomae rationem, doctrinam et principia, accurate distinctis 15  
iis, quae ab omnibus retineri debent, ab opinionibus quae libere inter catholicos controvertuntur, ita tradatur ut eius completam cohaerentemque synthesim alumni acquirant, omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum 20  
subtilioribus, quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

Introducantur alumni ad cognoscenda et crisi subiicienda systemata philosophica praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent ita ut, quae bona probantur teneant, errores ad religionem praesertim spectantes refellere discant et hominum, quos evangelizare debent, mentem cognoscant 25  
quo aptius propriae aetatis quaestionibus respondere valeant.

22. *In cursu theologico* theologia sacra, duce Ecclesiae Magisterio, ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina revelatione accurate haustam profunde penetrent, propriae vitae 30  
spiritualis reddant alimentum atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant. Omnes vero disciplinae theologicae ita doceantur ut harmonice in hunc finem conspirent, quippe quae singulae, ex intrinsecis proprii obiecti rationibus, mysterium Christi in historia salutis a Divinis Scripturis annuntiatum et in Ecclesia semper in actu clara in luce 35  
ponant.

Quare Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae prope anima esse debet, peculiari diligentia alumni instituantur;

congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et ea quae ad diversos theologiae tractatus pertinent, penitus investigent. Cum Patres tantopere ad revelationem fideliter transmittendam et enucleandam contulerint, eorum quoque studium in singulis tractatibus magni fiat, necnon historia praecipuorum dogmatum in sua quoque habitudine ad generalem Ecclesiae historiam; ad revelationem vero integre quantum fieri potest illustrandam, eam ope speculationis, S. Thoma magistro sicut de philosophia dictum est, intimius penetrare et in veritatum systema ordinare alumni discant; eamque semper in cultu et vita Ecclesiae praesentem et operantem agnoscere doceantur; atque humanorum problematum solutionem sub revelationis luce quaerere eiusque aeternas veritates mutabili rerum humanarum conditioni applicare noscant.

Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam; introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

23. Studiorum ecclesiasticorum *indoles pastoralis* peculiari cura attendenda est. Quemadmodum pastoralis sollicitudo totam sacrorum alumnorum formationem pervadere et animare debet, sic pastoralis aspectus et ratio, quasi vitalis halitus in disciplinis praesertim sacris tradendis a magistris diffundatur oportet, ut doctrinalis quoque institutio vere pastoralis evadat. Praeterea in cursu theologico diligenter instruantur alumni in iis disciplinis quae ministerio exercendo peculiari ratione inserviunt; accurate praeparentur ad sacram praedicationem et ad catechetica institutionem tum pueris tum adultis apta impertiendam methodo; item diligenter instituantur in iis quae ad sacramenta digne ministranda conferunt, praesertim quoad poenitentiae sacramentum et animarum directionem; sacram liturgiam ita celebrare addiscant ut, eius virtutem et momentum persentientes, populum sibi committendum ad consciam et actuosam participationem manuducere valeant.

Ad christianum sensum socialem alumni sedulo informentur

et de sociali Ecclesiae doctrina eiusque potioribus applicationibus, secundum tradita Ecclesiae documenta accurate doceantur.

Cetera etiam subsidia assumant quae disciplinae tum paedagogicae tum psychologicae tum sociologicae actioni pastoralis utiliter afferre valent, iuxta rectas methodos, consilia et monita Auctoritatis Ecclesiasticae; de hodiernis quoque communicationis socialis instrumentis necnon de activitatibus ad animi relaxationem spectantibus alumni, per graduales cognitiones et moderatos usus, congrue edoceantur ut easdem Regno Dei utiles reddere, pericula vero cum iis saepe connexa praecavere sciant.

Laicorum cooperationem magni facere discant et studiose reddantur idonei ad apostolicam eorum actionem excitandam, fovendam et dirigendam. Quare laicos humiliter et aperta mente audire assuescant ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant et in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et sacerdotale auxilium opportune praestare valeant.

24. Cum opus sit ut alumni apostolatus artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant, iam durante studiorum curriculo ad praxim pastorem initientur opportunis exercitationibus, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, moderate quidem ne formationi spirituali et intellectuali damnum afferatur, sed methodice et sub peritorum magistrorum ductu fiant. Peculiari cura alumni exercentur in actuosa una cum aliis socia praestanda actione, et cum apostolica opera non solum paroeciae, sed ipsius dioecesis fines saepe transcendant, etiam ad proprium apostolatum in ampliore campo coordinandum praeparentur.

## V – DE FORMATIONE POST SEMINARIUM PERFICIENDA

25. Sacerdotalis formatio accurate danda est in Seminario, at ob modernae vitae adiuncta post Seminarium perficienda est, primis annis vitae sacerdotalis, sub aspectu spirituali, intellectuali et praesertim pastoralis, ut neosacerdotes a quodammodo tecta et collecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam operositatem pastorem sine incommodo transeant.

Quare Episcopi sollicitam eis paternamque curam continen-

ter praestent, atque opportunitatem eis praebeant aptum spiritus directorem habendi, recollectiones menstruas et exercitia spiritualia ipsis aptata frequentandi ac pias consociationes sacerdotales participandi.

5      Parochi vero neosacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, in ministerio exercendo paterne adiuvent et moneant; ad quod maxime iuvabit vitae communis inter clericos consuetudo, summo opere laudanda atque suadenda, uti in Directorio generali Parochorum huius Sanctae Synodi iussu edendo ulterius statuitur.

10      26. Ad pastoralis actionis primos gressus tutius dirigendos valde iuvabit pastorem institutionem in Seminariis receptam per aliquot annos peculiari cura complere, diversis illis modis qui secundum Episcoporum experientiam in singulis regionibus videantur aptiores.

15      27. Illud tandem meminerint quotquot maximo sacerdotum formandorum operi se dedicaverint, quod « cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam » (1 Petr. 5, 4) ipsi percipient et eo pretiosorem, quo Christo acceptiores ministros eosque in ministerio fecundiores recta paraverint in-  
20      stitutione.

APPENDIX I \*

INSTRUCTIONIS

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

*Auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II conficiendae  
prima lineamenta adumbrata a Commissione de Seminariis  
de Studiis et de Educatione catholica*

I — DE VOCATIONIBUS SACERDOTALIBUS FOVENDIS

1. De natura vocationis sacerdotalis eiusque signis.
2. De promovenda omnium Ecclesiae membrorum socia opera ad vocationes sacerdotales fovendas.
3. De mediis ad vocationes sacerdotales fovendas, v. g.:  
De « Die pro vocationibus » in omni paroecia instituendo; de peculiari parentum instructione; de directione spirituali; de consociationibus catholicis; de parvo clero; de pueris cantoribus; de iuvenum exercitiis ad vitae statum eligendum etc. 5
4. De Opere Vocationum Sacerdotalium fovendo, secundum universalis Ecclesiae necessitates, ad meliorem cleri distributionem. 10

II — DE SEMINARIORUM SPECIEBUS ET ORDINATIONE

1. De Seminariis Minoribus et de eorum peculiari ordinatione.
2. De Seminariis pro vocationibus provectoris aetatis.
3. De Seminariis Interdioecesanis et Regionalibus, necnon 15

---

\* De quaestionibus, quae in hisce Appendicibus proponuntur, nulla fiet disceptatio in Congregationibus Generalibus, sed unusquisque Pater Conciliaris libere poterit animadversiones suas *scripto* facere easque tradere Secretario Generali Concilii.

Appendices autem, iussu ipsius Sacrosancti Concilii, remittentur una cum omnibus animadversionibus a Patribus prolatis ad Commissionem de reformando Codice I. C. vel ad alias Commissiones quae Directoria pastoralia redigenda curabunt.

de Seminariis Nationalibus et Internationalibus. De Seminariis specialibus v. g. pro Missionibus, pro America Latina etc.

4. De Seminariorum Visitatione.

5 5. De moderatorum et magistrorum praeparatione; de Institutis ad hunc finem erigendis vel frequentandis.

6. De alumnorum selectione et probatione. De perito medico audiendo. De usu methodi quae vocatur « test » etc.

7. De disciplina in Seminario: de erroribus vitandis, de aptis normis applicandis.

10 8. De vacationibus sacrorum alumnorum.

### III – DE SACRORUM ALUMNORUM IN SEMINARIIS INSTITUTIONE

1. De institutione spirituali et de eius notis: biblica, christocentrica, ecclesiali.

2. Monita et consilia circa peculiare periodos ad institutionem spiritualem profundius excolendam.

15 3. De normis circa probandam castitatem recognoscendis et unico documento colligendis.

4. De moderatore pietatis et de eius peculiari praeparatione. De confessariis et de normis ab ipsis servandis.

5. De vita liturgica in Seminariis, de lectionibus sacris etc.

20 6. De studiorum ratione et de eius accommodatione ad diversas nationes, missiones etc.

7. Peculiaria de diversis formationis intellectualis gradibus et temporibus; de curriculo studiorum humaniorum, philosophico, theologico.

25 8. De institutione proprie pastorali sive theoretica sive practica. Consilia pro exercitationibus pastoralibus durante Seminario.

### IV – DE INSTITUTIONE POST SEMINARII CURRICULUM COMPLENDA.

De institutione post Seminarium perficienda consilia varia ab Episcoporum coetibus pro diversarum regionum adiunctis  
30 perpendenda: diaconatus per annum, convictus sacerdotales, periodici conventus, mensis sacerdotalis etc.

## APPENDIX II

### DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

*Normae quae ad Codicem Iuris Canonici spectare videntur  
iuxta proposita Commissionis de Seminariis, de Studiis  
et de Educatione catholica*

1. Can. 1353 ita augeatur, ut de opere vocationum in una-  
quaque dioecesi condendo sit sermo sive quoad finem sive  
quoad media.

2. Quaedam ex integro constituentur de institutis vocatio-  
num provectoris aetatis. 5

3. Quaedam fusius de qualitatibus et condicionibus requi-  
sitis ad receptionem in Seminarium concedendam statuatur de-  
que auctoritate competenti iudicium ultimum ferendi de hac  
admissione.

4. Item quaedam enucleatius dicantur de Seminariis inter-  
dioecesanis (de facto vel de iure), regionalibus, internationalibus,  
ipsis notionibus clarius distinctis. 10

5. Canon generalis de re oeconomica Seminarii condatur  
iuxta principia iuris patrimonialis Ecclesiae, quae in schemate  
Commissionis de disciplina Cleri et populi christiani continentur. 15

6. Quaedam expresse statuatur de peculiari formatione eo-  
rum, qui in Seminariis munere aliquo moderandi et docendi  
funguntur.

7. Principia accuratiora de selectione et probatione alumno-  
rum dentur, cum canon 1371 negativo tantum modo exara-  
tus sit. 20

8. Distincti canones condantur de Disciplina, de Forma-  
tione spirituali, de Studiis, de Formatione pastorali, cum in  
Codice viginti normae quae adsunt, aliquomodo confuse rem  
describant. Item canon vel paragraphus condatur de formatione 25  
praecipue pastorali post Seminarium perficienda.

9. Sancte servatis principiis universalibus (cf. can. 1364),  
in singulis nationibus Ratio Studiorum habeatur, ab Episcopo-

rum coetu redacta et a Sancta Sede approbata, qua leges generales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur.

5 10. Canones in Codice vigenti, qui nimis ad particularia descendunt, iuxta ea quae in schemate Constitutionis hac in re continentur, opportune recognoscantur (cf. e. gr. can. 1367).

11. Commissio « De Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica » votum profert ut in novo Codice omnia quae admissionem ad ordines spectant, ei S. Congregationi deferantur, cui  
10 tota formatio cleri commissa est.

12. Examinandum videtur utrum ea quae de sacrorum alumnis formandis in Codice novo agent, ex libro « De rebus » ad librum « De personis » transferenda sint.